Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26083
Copyright: Admont, Benediktinerstift

menta constitue. Cum moriar, sepelies me. et
honorem habebis matris tue dum uixerit.
Mortuam circa me sepelies eam. Semper in men-
te habeto dominum fili mi. et serua mandata eius.
de substantia tua fac elemosinas. quia elemosi-
na ab omni peccato liberat. et magnam prestat fidu-
ciam coram deo omnibus facientibus eam. Attende
tibi fili mi ab omni fornicatione. et a superbia, a qua
sumpsit inicium omnis perdicio. Consilium a sapi-
ente perquire. A peccatoribus declina. Merces mercen-
narii non maneat apud te. Noli timere fili quia
pauperem uitam gerimus. sed multa bona habebimus
si timuerimus dominum. Preterea scito quod dedi gabelo
.x. talenta in rages cuius cyrographum penes
me habeo. perquire ergo tibi fidelem uirum qui tecum eat
salua mercede sua. ut restituas gabelo cyro-
graphum suum. et ipse restituet tibi depositum. Tunc
egressus tobias inuenit iuuenem succinc-
tum. et quasi ad iter paratum. ignorans quod angelus
dei esset. Cumque accepisset ab eo quod omnem regi-
onem medorum nouisset. et rages ciuitatem. et ga-
belum habitantem in ea. introduxit eum ad pa-
trem suum. Et salutauit eum iuuenis dicens.
Gaudium sit tibi semper. Qui respondit. Quale gaudium
erit mihi. qui lumen celi non uideo. Cui iuuenis.
Forti animo esto. in proximo est ut a deo cure-
ris. Et ait tobias. Potes perducere filium meum
ad gabelum. Qui respondit. Ego ducam eum et reducam ad
te. Cumque quereret tobias ab eo tribum eius et do-
mum et nomen respondit. Ex filiis israel ego sum azarias
ananie magni filius. quod totum secundum interpretationem no-
minum uerum erat. Erat enim de angelis indu-
tibus dominum. et erat azarias id est adiutor. et filius
ananie id est gratie dei. Tunc paratis omnibus que erant
opus in uia. ambulauerunt ambo simul. et ca-
nis secutus est eos. Quam autem flebat uxor. di-
cebat ad uirum. Baculum senectutis tulisti.
nunquam esset pecunia illa pro qua misisti eum. Su-
fficiebat nobis paupertas nostra. ut diuicias
computaremus quod uidebamus filium nostrum. Et ait
tobias. Noli flere. filius noster saluus reuertetur

ad nos. Credo enim quod angelus dei bonus comi-
tetur eum. Porro illi duo. prima mansione
manserunt iuxta fluuium tygrim. et exiuit
tobias ut lauaret pedes suos. et piscis
immanis egrediebatur. ut deuoraret eum.
et timens tobias clamauit dicens. Domine
inuadit me. et ait angelus. Apprehende bran-
ciam eius et trahe eum ad te. et extraxit eum in
sicco. et palpitabat ante pedes eius. Super hoc
locum dicit beda quod dum christus lauaret in cruce pe-
des suos qui ambulant super terram. aduenit
diabolus querens si quid peccati inueniret
in eo. Vnde pater transfer calicem hunc a me. Tunc
dixit angelus ad tobiam. Exentera piscem hunc.
et cor eius et fel et iecur repone tibi. ualent enim
ad medicamenta. Tunc tobias partem piscis assa-
uit. et comederunt. partem salsam secum tulit.
Cumque simul pergerent ait tobias. Azaria
frater quod remedium habent que de pisce seruare
dixisti. Qui respondit. Particula cordis super pru-
nas posita. fumo suo extricat omne genus
demoniorum a uiro uel muliere. nec super hoc mi-
rari debemus cum fumus cuiusdam arboris adusti
eandem uim habere perhibeatur. Cumque quesisset
tobias ubi manerent nocte illa. respondit angelus. Est
hic raguel propinquus tuus. habens filiam uni-
cam que debetur tibi cum omni substantia eius. et ait tobias.
Audio quod tradita est uiris septem. et occisi sunt a de-
mone. Et respondit angelus. Noli timere. Super petu-
lantes et deum non timentes potestatem demonium
habet. Tu autem cum acceperis eam tribus diebus contine- [abstinentia noctium nuptiarum]
bis ab ea. et de nocte uacabitis ambo orationibus.
Prima nocte incenso iecore piscis. precibus
uiris fugabitur demonium. Secunda nocte in
copulatione sanctorum patriarcharum admitteris.
id est orabitis dominum ut in participium sanctitatis et
pudicicie patriarcharum admittat uos. Tercia
nocte benedictionem consequeris. ut filii pro-
creentur ex uobis incolomes. hanc benedictionem
prestabat uel sacerdos uel aliquis maior inter eos.
uicem sacerdotis gerens. Quarta nocte acci-